

t. II, sect. 6, cap. 17, n. 5; Bauldry, part. IV, cap. 3, n. 5, et alii rubricistæ passim. In ipsa autem feria 6 post octavam Ascensionis potest fieri de festo semiduplex etiam translato. Sac. Rituum congr. in *Romana duoborum* 11 Aug. 1691.

(20. In Pascha Resurrectionis et Pentecostes officium octavæ terminatur in Sabato sequenti ad Nonam. Rubric. general. *Breviarii*, sub tit. *De octavis*, num. 2.

(21. In Quadragesima sine speciali privilegio non possunt celebrari octavæ. Citat. rubr. gener., tit. *De octavis*, n. 1. (22. Si in Quadragesima occurrat officium infra octavam, qui ex speciali privilegio octavam celebrant, debent dicere missam conventionalem de feria cum commemoratione octavæ, et missas privatas possunt dicere de octava cum commemoratione feriæ. Sacra congregatio Rit. 23 Januarii 1662.

(23. Die octava concurrente cum alia die octava fit a capitulo de sequenti cum commemoratione præcedentis, exceptis octavis privilegiatis, in quibus de aliis sequentibus non privilegiatis fit tantum commemoratio. Rubr. general. *Brev.*, tit. *De concurrentia officii*, n. 7. (24. Die octava concurrente cum sequenti duplici minori etiam translato fit a capitulo de sequenti cum commemoratione octavæ. Rubr. gener., *loc. cit.*, n. 7. (25. Die octava concurrente cum sequenti duplici majori etiam translato, totum officium fit de sequenti cum commemoratione octavæ, excepta die octava Epiphaniæ, Paschæ, Ascensionis, et Corporis Christi, in quibus de sequenti etiam duplici majori fit tantum commemoratio. Rubr. gener., *loc. cit.*, n. 7. (26. Die octava concurrente cum duplici secundæ classis etiam translato, totum officium fit de sequenti cum commemoratione octavæ. Rubr. general., *loc. cit.*, n. 7. (27. Concurrente autem die octava cum duplici primæ classis, totum officium fit de sequenti sine commemoratione octavæ; ex regula generali in tabula, quando concurrunt sub n. 1.

(28. Quæcunque dies octava B. Mariæ Virginis debet habere integras utrasque vespas in concurrentia cum festo duplici minori. Sacra congregat. Rit. 11 Augusti 1691. (29. Dies octava non privilegiata dimidiat vespas in concurrentia cum duplici minori. Sac. Rit. congreg. 12 Jul. 1663. (30. Dedicatio Apostolorum et Salvatoris extra Urbem non habent integras vespas, si die præcedenti, vel sequenti celebretur officium duplex minus. Idem dicendum est de die octava dedicationis. Sac. Rit. congr. 12 Jul. 1664.

(31. Si aliqua dies octava incidat in Dominicam privilegiatam, de qua debeat fieri officium, in primis vespis dicuntur Psalmi Sabbati, capitulum de Dominica cum commemoratione octavæ, et si in Sabato fuit festum semiduplex, de hoc sunt vespas, attamen a capitulo fit de Dominica, et prima commemoratio est de priori semiduplexi, quia de eo fuit officium, secunda

est de octava, quæ nec habuit, nec habebit officium. Sic ex Gavant. expresse La Croix, lib. IV, n. 1280.

(32. Infra octavam officium fit semiduplex, in octava fit duplex; infra octavam omnia dicuntur sicut in secundis vespis festi, et in primis vespis diei octavæ, omnia sicut in primis vespis festi, nisi aliter in propriis locis notetur. Rubr. gener. *Breviarii*, tit. *De octavis*, n. 5. (33. De octavis Nativitatis, Epiphaniæ, et Corporis Christi fit semper commemoratio quocunque festo in illis occurrente. Rubr. gener., *loc. cit.*, n. 3.

(34. Si in die octava alicujus festi habentis octavam occurrat aliquod festum duplex 1 vel 2 classis, debet fieri officium de festo cum commemoratione diei octavæ, excepta die octava Nativitatis Domini et Epiphaniæ, in quibus non fit de aliquo festo, sed transfertur in primam diem non impeditam. Rubr. general. *Breviar.*, tit. *De translation. festor.*, n. 2. (35. Si autem non fuerit ex prædictis festis, debet fieri officium de octava, et festum transferri juxta dicta supra n. 7. Festum occurrens in Dominica in Albis, et Dominica Trinitatis, cujuscunque sit ritus et dignitatis, transfertur in sequentem diem non impeditam. Quamvis enim in Pascha resurrectionis et Pentecostes officium octavæ terminetur in Sabato sequenti ad Nonam, juxta dicta supra n. 20, tamen dictæ duæ Dominicæ cum aliis sunt privilegiatæ, ut patet ex rubric. general., tit. *De commemorationibus*, n. 3, et tit. *De translation. festor.*, n. 1.

(36. Dies octavæ omnes (exceptis Christi et B. M. V.) ordinariæ sunt ejusdem solemnitatis: hinc dividere debent vespas juxta dicta supra sub n. 23 nisi aliter notetur. Octava autem dedicationis est dignior, quam patroni; patroni, quam titularis (nisi sit intra hos magna distantia dignitatis), assumptionis, quam dedicationis. La Croix, lib. IV, n. 1279. Octava autem Omnium Sanctorum tanquam dignior præferenda est octavæ Dedicationis eccles. Sac. Rit. congr. 5 Martii 1695.

(37. Proposito in sac. Rit. congregat. a capitulo cathedralis Collensis, inter alia, nono dubio: « An infra octavas privilegiatas possit cantari missa defunctorum in anniversario et officio solenni? » Ead. sac. Rit. congregat. in *Collen.*, die 5 Julii 1698, respondit « Ad 9, Negative. »

(38. Infra octavam Corporis Christi non sunt canendæ missæ mortuorum, nisi præsentem corpore. Sac. Rit. congreg. in *Nuscana* 12 Septembr. 1671. (39. Quod intelligendum est etiam de diebus infra omnes quinque octavas privilegiatas, nempe Nativitatis Domini, Epiphaniæ, Paschæ, Pentecostes, et dictæ Corporis Christi, ex alio supra allato decreto ejusdem sac. Rit. congr. in *Collen.* die 5 Julii 1698, in responsione ad 9 dub.

(40. Nemini licet facere octavam pro defunctis sine speciali indulto Sedis Apostolicæ. S. R. C. 13 Augusti 1667 in *Romana*.

SUMMARIUM.

1. Oculo carens, si non sit valde deformis, non est irregularis, et consequenter ordinari potest. — 2. Impudicus oculus impudici cordis est nuntius. — 3. Oculi irritamenta sunt vitiorum. — 4. Oculos stibio depingere non licet. — 5. Oculis noxia assi-

(1. Oculo carens, si non sit valde deformis, non est irregularis, et consequenter ordinari potest. Vide verb. IRREGULARITAS, art. 1, n. 12, § *Secunda ex defectu corporis*.

(2. Impudicus oculus impudici cordis est nuntius. Cap. *Nec solo* 12, caus. 32, q. 5.

(3. Oculi irritamenta sunt vitiorum, ducuntque scelerum. Seneca, *De remediis fortuit.* Unde S. Joannes Chrysostomus, in cit. cap. *Nec solo* 12, caus. 32, q. 5, sic ait: « Mulier, si se decoraverit, et vocaverit ad se oculos hominum, etiamsi plagam non intulerit, vindictam dabit extremam, venenum enim obtulit, etsi nullus, qui libat, inventus sit. »

(4. Oculos stibio depingere non licet. Fagnan., lib. III *Decretal.*, in c. *Multa* 1, Ne clerici vel monachi, num. 66. Unde S. Augustinus, epist. 37, ante med., t. II, dicit: « Fucari figmentis, quo rubicundior vel candidior appareat, adulterina fallacia est. » Sic impia Jezabel, introitu Jehu audito, depinxit oculos suos stibio, *IV Reg.* IX, 30, ibi: *Porro Jezabel, introitu ejus audito, depinxit oculos suos stibio, et ornavit caput suum.* Et sub figura multiplicium stuprorum duarum meretricum Oollæ et Oollibæ acriter reprehendit idololatram Samaritæ et Jerusalem *Ezechiel.* xxxii, 40, ibi: *Circumlinisti stibio oculos tuos, et ornata es mundo muliebri.*

SUMMARIUM.

1. Odium opponitur directe amori, seu charitati. — 2. Sicut duplex est amor, scilicet unus amicitie, et alter concupiscentiæ, ita duplex quoque est odium, scilicet unum personæ, seu odium inimicitie, et alterum odium qualitatis, seu odium abominationis. — 3. Odium personæ seu odium inimicitie quid sit? — 4. Odium qualitatis, seu abominationis quid sit? — 5. Odium personæ, seu inimicitie non reperitur in Deo. — 6. Bene vero odium qualitatis, seu abominationis. — 7. In homine reperitur utrumque; scilicet, et odium inimicitie et odium abominationis. — 8. Odium inimicitie tum erga Deum, tum erga proximum est peccatum de genere suo gravissimum. — 9. Odium inimicitie erga Deum non potest esse veniale ob parvitatem materiæ,

(1. Odium opponitur directe amori, seu charitati. *Communis*.

(2. Unde sicut duplex est amor, scilicet unus amicitie, et alter concupiscentiæ, ita duplex quoque est odium, scilicet unum personæ, seu odium inimicitie, et alterum odium qualitatis, seu odium abominationis. *Communis*. (3. Odium personæ, seu odium inimicitie, est illud quo personæ alicui volumus malum, quatenus absolute illi

gnantur. — 6. Oculos retro nulla lex, nulla appellatio, nullaque inhibito habet. — 7. Oculorum officium durius est amisisse, quam linguæ. — 8. In missa quando sacerdos debeat oculos elevare? — 9. Et quando debeat eos demissos tenere?

(5. Oculis noxia:

Allia, vina, venus, pulvis, ventus, faba, fumus. Ista nocent oculis, sed vigilare magis.

Sic apud Ursayam in *Miscellaneo sacro et profano*, litt. O, n. 24 et 25.

(6. Oculos retro nulla lex, nulla appellatio, nulla inhibito habet. Rota in *Illerden. Hæreditatis* 4 Februar. 1705, § *Quod sic*, coram Ansal., apud Ursayam, *loc. cit.*, n. 26.

(7. Oculorum officium amisisse durius est, quam linguæ. Fagnan., lib. II *Decretal.*, in cap. *Cum percussio* 1, De clerico ægrolante, n. 14; cap. *Causam quæ*, De election.; cap. 1, *De tregua et pace*. Cum similibus.

(8. In missa sacerdos elevat oculos, ad *Munda cor meum, Veni sanctificator*, ad oblationem hostiæ et calicis, sed offerens hostiam, statim iterum deprimit in hostiam, offerens autem calicem tenet elevatos. Item oculos elevat ad *Suscipe sancta Trinitas, Te igitur clementissime, Gratias agamus*, dum dicit *Deo nostro, Qui pridie*, dum dicit *elevatis oculis*, quando hostiam et calicem elevat; hæc enim respicit, donec deponat; in fine ad *Benedicat vos omnipotens Deus*. Sic ex *Missali*, in ritu servando in celebratione missæ, per tot.

(9. In missa sacerdos oculos demissos tenet, dum accedit, vel recedit ab altari. Quocumque se vertit ad populum. Sub utroque *Memento*. Post consecrationem pleurumque conjiciuntur in hostiam, nisi occurruntur in legendo. Sic ex *Missali*, *loc. cit.*

ODIUM.

bene vero ob imperfectum animi consensum, seu indeliberationem actus; odium autem inimicitie erga proximum potest esse veniale, tum ob imperfectum animi consensum, seu indeliberationem actus, tum ob parvitatem materiæ. — 10. Odium abominationis erga Deum est de genere suo peccatum mortale; erga proximum autem interdum licitum est, et laude dignum. — 11. Affertur ratio primæ partis. — 12. Affertur ratio secundæ partis. — 13. Cavendum tamen est, ne fiat ex vindicta, aut inordinate contra ordinem charitatis. — 14. Affertur ad id propositiones damnatæ. — 15. Odium suscitatur rixas, et universa delicta operit charitas. — 16. Odisse quem læseris proprium humani generis est. — 17. Alia ad rem remissive. Vide *Addit.* in fine.

malum est. Est in re communis. (4. Odium qualitatis, seu abominationis, est illud quo personam aversamus non secundum seipsam, sed secundum suam malam qualitatem, quatenus ipsa est nobis, vel alteri, aut commun. noxia. Est in re communis.

(5. Odium personæ seu inimicitie non repetitur formaliter in Deo, quia Deus non odio habet creaturam, ut creaturam, cum de illo dicatur *Sapient. II: Nihil odisti*

eorum quæ fecisti. (6. Reperitur autem in Deo odium qualitatis, seu abominationis, quatenus odio habet creaturam, ut peccatricem, juxta id quod dicitur *Psal. v: Odisti omnes qui operantur iniquitatem*; et inferius: *Virum sanguinum et dolosum abominabitur Dominus; Psal. cxviii: Iniquos odio habui*; et ad Romanos ix: *Esau odio habui*, cum similibus.

(7. In homine reperitur (et utinam non reperiretur) utrumque odium, scilicet et odium inimicitiae, et odium abominationis. *Communis*.

(8. Odium inimicitiae tum erga Deum, tum erga proximum, est peccatum de genere suo gravissimum. *Communis*. Et colligitur ex *Psal. xxxvii, ibi: Superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper*; et ex lib. *Num., xvii, ibi: Dissipentur inimici tui, et fugiant qui oderunt te*; et ex *Joan., ii, ibi: Qui odit fratrem suum in tenebris est*; cum similibus. Et probatur etiam ratione, quia odium inimicitiae formaliter et directe opponitur charitati, quæ est maxima omnium virtutum, ex *I ad Corinth. xii, ibi: Major autem horum est charitas*, et de qua præcipuum mandatum habemus ex *Matth. xii, 37* et seq. *ibi: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et in tota anima tua, et in tota mente tua. Hoc est maximum et primum mandatum. Secundum autem simile est illi: diliges proximum tuum sicut te ipsum*; ex *Marc. xii, 30* et seq., *ibi: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota virtute tua. Hoc est primum mandatum. Secundum autem simile est illi: diliges proximum tuum tanquam te ipsum. Majus horum aliud mandatum non est*; *Luce x, 27, ibi: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex omnibus viribus tuis, et ex omni mente tua; et proximum tuum sicut te ipsum*. Adeoque odium inimicitiae, tum erga Deum, tum erga proximum, est peccatum de genere suo gravissimum.

(9. Dicitur autem notanter de genere suo, quia licet odium inimicitiae erga Deum non possit esse veniale ob parvitatem materiæ, cum quodlibet odium etiam in materia levi maxime repugnet summæ ejus bonitati, potest tamen esse veniale ob imperfectum animi consensum, seu indeliberationem actus. Et odium inimicitiae erga proximum potest esse veniale, tum ob imperfectum animi consensum, seu indeliberationem actus, tum ob parvitatem materiæ, puta si levem aliquam displicentiam, seu modicam aversionem habeat quis erga proximum, aut leve malum illi optet, ut recte notant Reiffenstuel, *Theolog. moral., tract. 4, dist. 7, q. 1, n. 5*; Layman, lib. ii, tract. 3, cap. 2, num. 4; Turrianus, cap. 1, disput. 17, dub. 1, et alii passim.

(10. Odium abominationis erga Deum est de genere suo peccatum mortale: erga proximum autem interdum licitum est, et

(126) In utraque editione Romana ad hæc verba adnotatio ista apposita legitur: «Nunquam licet

laude dignum. *Communis*. (11. Ratio primæ partis est, quia cum Deus sit infinite bonus, et in eum nulla malitia, sive defectus intrinsece vel extrinsece cadere possit, ob quam abominatione vel odio dignus sit, imo omnia, quæ in eo sunt, et ab ipso procedunt, pro nobis bona sint, quamvis cæcitati nostræ interdum mala videantur, ideo summa nostra deordinatio est Deum odisse, adeoque peccatum mortale est eum odio prosequi propter infirmitatem, paupertatem, afflictionem, et hujusmodi, etc., quibus ad nostrum spirituale profectum et utilitatem æternam nos interdum visitare dignatur. (12. Ratio autem secundæ partis est, quia odium abominationis, interdum fundatur in amore amicitiae, seu charitatis erga Deum, vel nos ipsos, vel erga proximum ipsum, quem odio prosequimur, aut alterum proximum, ut proinde tale odium, si debito ordine et fine eliciatur, ex virtute charitatis proveniat, adeoque sit licitum et laude dignum; unde licitum est et laude dignum mortem optare (126), hæresiarchæ, vel publicæ pacis turbatori ob bonum commune, et multorum, juxta illud ad *Galatas v: Utinam absceindantur*; item mortem, egestatem, aut morbum alicujus desiderare, ut cesset a peccatis, et vitam in melius mutet; item tristari de eo, quod dignitates conferantur indignis, vel de sanitate, et prosperitate, seu fortuna ejus, qui ex illa sumit occasionem peccandi, et generatim ad bonum spirituale proprium, vel alienum licet mala pœnæ inefficaci affectu aliis velle: quia cum in hoc affectu bonum spirituale præferatur temporali, non est inordinatus.

(13. Cavendum tamen est, ne fiat ex vindicta, aut inordinate contra ordinem charitatis, quia quamvis licitum sit ordinate, et salva charitate, inefficaci affectu optare alicui mortem, morbum, aut aliquod temporale infortunium ob bonum spirituale proprium, vel ipsius, aut alterius, aut propter bonum commune reipublicæ, quod alias obtineri non posset, ut notant communiter doctores cum S. Gregorio 22, *Moral. 11*; S. Thoma, 2-2, q. 76, art. 1, et in 3, dist. 30, art. 1 et Scoto in 3 dist. 30 q. unica, quia sic principalis intentio et finis non fertur ad malum, sed ad bonum spirituale ipsius, vel alterius, vel ad bonum communitatis, et ut alter graviter nocere desinat. Attamen illicitum est et charitati repugnans optare mortem proximo ob bonum temporale non necessarium, aut quodcumque etiam modicum temporale emolumentum, quia tale bonum et temporale emolumentum censetur esse levioris momenti, facta comparatione cum vita hominis, et ita illicitum est desiderium et gaudium de malo proximi, quod trahit secum nostrum, seu alterius, aut reipublicæ bonum, si tale bonum non sit, facta comparatione ad malum proximi, in ordine, et

optare mortem alterius, sed ejus conversionem. Vide tamen *Addit.* ad hunc articulum.

esse præstantius. Sic recte pluribus adductis notant Cardenas in *Crisi theologica*, ad propositiones 13, 14 et 15, ex merito damnatas ab Innocentio XI, die 2 Martii 1679, Viva ad easdem, et alii scribentes in ipsas; quæ propositiones hic ad litteram dantur, prout jacent.

Propositio XIII.

(14. « Si cum debita moderatione facias, potes absque peccato mortali de vita alicujus tristari, et de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu petere, et desiderare non quidem ex displicentia personæ, sed ob aliquod temporale emolumentum.

Propositio XIV.

« Licitum est absolute desiderio cupere mortem patris, non quidem ut malum patris, sed ut bonum cupientis, quia nimirum ei obventura est pinguis hæreditas.

Propositio XV.

« Licitum est filio gaudere de parricidio parentis a se in ebrietate perpetrato propter ingentes divitias inde ex hæreditate consecutas. »

(15. Odium suscitatur rixas, et universa delicta operit charitas: *Proverb. x, 12*.

(16. Odisse quem læseris proprium humani generis est. Tacit., in *Vita Agricola*.

(17. Alia ad rem vide verb. *Virtus*, a n. 34 ad 87.

* Ad ea, quæ auctor n. 12 et 13 constituit, declaranda, et illustranda, pertinent, quæ habet Antoine in tractatu *De virtutibus theologis*, c. 5, quæst. 4, ubi, resp. 1: « Nunquam, ait, licet optare et imprecari malum proximo, quatenus ejus malum est, vel gaudere de ejus malo, ut tali, vel dolere de ejus bono, ut ejus bonum est. Ita omnes. Quia hæc sunt actus odii, et inimicitiae, et repugnant charitati; ideoque sunt mortalia ex genere suo, nec possunt esse venialia, nisi ob defectum sufficientis advertentiæ, vel ob levitatem mali optati. Item non licet optare etiam inefficenter malum proximi, quamvis non ut malum illius, aut gaudere de eo, etsi inculpate adveniendi, vel dolere de ejus bono quamvis non ex displicentia personæ, sed præcise propter bonum minus nostrum, vel alterius proximi. Quia hi actus repugnant debito ordini charitatis, ex qua tenemur

ŒCONOMI ECCLESIIARUM.

SUMMARIUM.

1. Bona ecclesiastica non nisi ad cathedrales ecclesias olim spectabant, a quibus alimenta percipiebant clerici qui in aliis, seu civitatis, seu dioceseos ecclesiis ministrabant. — 2. Eorum cura episcopis commissa. — 3. Qui primum per archidiaconos. — 4. Deinde per œconomos ea administra-

(1. Antequam de ecclesiarum œconomis dicere aggrediar, duo prænotare juvat. Primum est, nullos antiquitus presbyteros, aliosve clericos peculiaribus sive civitatis, sive dioceseos ecclesiis fuisse alligatos, sed

bonum proximi majus et altioris ordinis præferre nostro minori et inferioris ordinis. Idque constat ex his propositionibus ab Innocentio XI damnatis (illis nempe ipsis, quæ num. 14 a Lucio nostro descriptæ sunt. Deinde sic pergit); Resp. 2; ex S. Thom. in 3, part. xxx, quæst. 1, art. 1 ad 4: « Quia charitas ordinem habet, et plus debet diligere quisque se, quam alium, et propinquos, quam extraneos, et amicos quam inimicos, et bonum commune multorum, quam bonum privatum unius; potest aliquis, salva charitate, optare malum temporale alicui, et gaudere si contingit, non in quantum est malum illius, sed in quantum est impedimentum malorum alterius, quem plus tenetur diligere, vel communitatis aut Ecclesiæ. Similiter de malo temporali ejus, secundum quod per malum pœnæ impeditur frequenter malum culpæ ejus. » Igitur, 1º Licet desiderare affectu inefficaci aliquod malum temporale alteri, v. gr. morbum, et de illo gaudere præcise propter ejus bonum spirituale, v. gr. ut peccare desinat, et respiscat: quia secundum ordinem charitatis, bonum spirituale præfertur temporali. 2º Licet sic optare mortem juste obventuram hæresiarchæ, vel malefactori Reip. noxio, et de ea gaudere, non quatenus ipsius malum est, sed quatenus per illam mortem majora mala impediuntur, et ob multorum bonum, quod præferendum est bono unius privati. 3º Licet optas victoriam de hostibus in bello justo, vel Turcarum excidium, ob ingens bonum justum tuæ communitatis, vel Ecclesiæ. Quia bonum Ecclesiæ vel communitatis tuæ præferre debes bono alterius communitatis. 4º Licet optare malefactori pœnam meritam per judicem infligendam, vel ut ipse, aut alii coerceantur ab injuria inferenda tibi, aut aliis, nam hoc est consentaneum charitati; vel quia expedit reip. et bono communi, nam est actus pietatis erga reip.; vel ut jus læsum resarciatur, nam est actus justitiæ. Ast, ut dixi, nunquam licet optare aliis vel sibi majus malum ad vitandum minus; quia hoc est contra debitum ordinem charitatis. Hinc peccant mortaliter qui sibi mortem deliberate optant ex gravi impatientia, ad vitandas aliquas leves molestias. »

bant, ac dispensabant; quos et ipsi eligebant. — 5. Licet alicubi ex communi universi cleri suffragio. — 6. Quibus de causis instituti œconomi. — 7. Presbyteri, aut diaconi; imo et laici. — 8. Eorum munera. — 9. Episcopo obnoxii fuere. — 10. 11. 12. Alia de illis. — 15. Quando desierint?

uni ecclesiæ matri, seu cathedrali, de qua ad cæterarum ministerium indiscriminatum adhibebantur. Neque id mirum, nam urbis ac dioceseos ecclesiæ, separatos non habebant redditus; sed clerici illis ministrantes,

alimenta accipiebant ex communi Ecclesiae matris arario, in quod omnes particularium Ecclesiarum oblationes inferebantur, ut ex eo clerici universi suas portiones acciperent.

(2. Alterum est, omnium ecclesiasticorum reddituum curam et distributionem ita episcopo fuisse commissam, ut, haec magna pars fuerit ipsius muneris, atque officii. Id disertis verbis statutum videas cum in canonibus, quos *Apostolicos* dicimus can. 31 et 33, tum in *Constitutionibus Apostolicis*, lib. xi, cap. 25. Satis sit duos Antiocheni concilii canones recitare, 24 et 25. In illo legimus: « Ea, quae sunt Ecclesiae, administrari convenit cum iudicio et potestate episcopi, cui et omnis populus creditus, et eorum animae, quae in ecclesiam conveniunt; » in hoc: « Episcopus habeat rerum ecclesiae potestatem, ut eas in omnes egentes dispense cum multa cautione, et Dei timore. » Hinc Gangrense concilium, can. 8, anathemate eum percudit, « qui vult fructus ecclesiae datos accipere, vel dare extra ecclesiam, praeter episcopi sententiam. »

(3. Primis Ecclesiae saeculis episcopi in ecclesiasticorum reddituum administratione archipresbyteri, sed potissimum archidiaconi opera utebantur. Quare concilium Carthaginense iv, can. 17, sancivit, « ut episcopus gubernationem viduarum, pupillorum ac peregrinorum non per se ipsum, sed per archipresbyterum, aut per archidiaconum agat. » Eiusmodi munere S. Laurentius, Romanae Ecclesiae archidiaconus, quanta fuerit fidelitate perfunctus, docent Prudentius in hymno de eodem S. Laurentio; Ambrosius, lib. ii, *De officiis*, cap. 28, et Augustinus serm. 121 *De diversis*. De Caeciliano autem idem Augustinus in *Brev.*, collat. 3, tradit eum a Donatistis fuisse accusatum inter caetera « quia, cum esset diaconus, victum afferri martyribus in custodia constitutis prohibuisset. »

(4. Quarto deinde, et quinto saeculo, cum ecclesiarum redditus auferrentur in dies, episcopi vero et archidiaconi gravioribus negotiis implicarentur, placuit, ut ad eorum reddituum curam et dispensationem ministri instituerentur *oconomorum Ecclesiae* nomine, quibus id officii demandaretur. Episcopi erat *oconomum* ex suo clero designare. Certe Ibas episcopi Edessenum *oconomorum*, quos ipse ordinaverat, cura sua Ecclesiae bona administrasse, docet fragmentum concilii Tyrii a. 448 habiti, recitatum concilii Chalcedonensis act. 9. Gennadius quoque Constantinopolitanae Ecclesiae episcopus, et Acacii successor Marcianum *oconomum* praefixit, ut Theodorus lector scribit lib. i, n. 13.

(5. Alicubi tamen *oconomi* ab universo clero communibus suffragiis statuebantur. Certe Theophilus Alexandrinus episcopus in epistolis suis canonicis apud Beveregium can. 9 statuit, « ut totius sacerdotalis ordinis sententia alius renuntietur *oconomus*, in quo Apollo episcopus consentiat, ut

bona Ecclesiae in ea, quae oportet, impendantur. »

(6. Inter causas, ob quas *oconomi* constituti fuerunt, ea praecipua fuit recta reddituum dispensatio; tum illa, ne episcopi eorumdem dissipatorum nomine a laicis, vel etiam a clericis accusarentur. Quare cum Ibas, de quo n. 4 fuisset a nonnullis dissipatorum Ecclesiae Edessena reddituum insimulatus, « placuit illi in Tyria synodo ex propria voluntate promittere, quod de caetero secundum formam Antiochenae maxime civitatis gubernarentur res per *oconomos* ex clero ordinatos a sua religiositate. » Eadem de causa Chalcedonense concilium, can. 26, decrevit, « omnem Ecclesiam episcopum habentem ex proprio clero *oconomum* habere, ut nec sine testibus sit Ecclesiae administratio, nec ideo res ejus dissipentur, et probrum, et dedecus sacerdotio inuratur. »

(7. Presbyteri, ut plurimum, erant *oconomi* in Orientali Ecclesia. Sic Charisii presbyteri et *oconomi* Philadelphiae mentio occurrit in Ephesino concilio, act. 4, uti et Proterii, qui Alexandriae cum presbyter antea et *oconomus* fuisset, episcopus fuerat creatus. Chalcedonense quoque concilium de Dioscorigo depositione litteras dedit ad Chamosynum *presbyterum et oconomum*, ad Euthalium archidiaconum, et ad alios clericos Alexandrinos. Interdum tamen *oconomi* occurrunt nondum presbyteri; Liberatus certe diaconus *Breviar.*, cap. 16. Joannis Talajae meminit, qui « ex *oconomo* presbyter factus erat Tabennesiotis... factusque est iterum *oconomus* habens causas omnium Ecclesiarum. » Vignit haec disciplina in Orientali Ecclesia ad saeculum xi. Tum etiam laicos constitutos *oconomos* legimus. Confer Thomassinum p. iii, lib. ii, cap. 10, n. 8. Apud Latinos vero diaconis hoc munus tribuebatur.

(8. *Oconomi* munera Theophilus Alexandrinus supra laudatus his verbis explicat; « ut bona ecclesiae, ut decet, insumantur; viduae, et pauperes, et peregrinantes hospites omni quiete fruantur, et nemo ea, quae sunt Ecclesiae, ut sua usurpet. » Plura addit S. Isidorus Hispalensis in epistola ad Laudefredum, quam tamen sunt, qui ei abjudicent. Neque omittendum quod ex concilio Chalcedonensi, can. 23, discimus, sede vacante *oconomi* partes fuisse reddituum Ecclesiae curam gerere, ut episcopo eligendo integri reservarentur.

(9. Erant tamen *oconomi* episcopo ita subjecti, ut illi, tanquam supremo Ecclesiae moderatori, rationem omnino reddere debuerint. Indicat id Hieronymus epist. 1 *ad Nepot.*, ubi ait: « Sciat episcopus, cui commissa est Ecclesia, quem dispensationi, curaeque praeficiat. » S. Augustinus certe, auctore in ejus Vita Possidio, omnes quidem suae Ecclesiae redditus per clericos administrabat, ne sigillo quidem, aut clavi, sibi reservato; statis tamen temporibus obita administratio nis rationes ab iisdem postulabat. Vide

eundem Thomassinum p. iii, lib. ii, cap. 6, n. 14.

(10. Non perpetua fuit haec *oconomorum* administratio. Quae de Joanne Talaja ex Liberato n. 7 reddidimus, id palam faciunt. Ille enim dicitur *factus iterum oconomus*.

(11. Adde, in magnis Ecclesiis plures exstitisse *oconomos*. Hinc in Constantinopolitana Ecclesia *magnus oconomus*, summus scilicet inter *oconomos*, ex praecipuis erat dignitatibus, quem Simeon Thessalonicensis S. Stephani protomartyris et primavae Ecclesiae *oconomi* successorem vocat.

(12. Cum tamen VII concilii oecumenici tempore pigritarentur in Oriente episcopi

OFFICIALES BELLICI.

Vid. verb. BELLUM, art. 3, per tot.

OFFICIUM DIVINUM

ARTICULUS I.

Quoad ea quae concernunt ejus nomen, originem, divisionem et obligationem.

SUMMARIUM.

1. Officium modo appellatur divinum, et quare?
2. Modo vocatur ecclesiasticum, et quare?
3. Modo vocatur canonicum, seu horae canonicae, et quare?
4. Modo vocatur breviarium, et quare?
5. Modo vocatur orarium, et quare?
6. Unde officium divinum seu ecclesiasticum, vel breviarium, aut orarium, seu horae canonicae defini possunt officia quaedam, etc.
7. Usus divini officii, ac recitatio horarum canonicarum est antiquissimum in Ecclesia catholica, et jam a tempore apostolorum inchoatus, atque celebratus.
8. Qui dicunt horas canonicas coepisse a SS. Damaso, Gelasio et Gregorio primis, intelligendi sunt, quod a dictis Summis Pontificibus coeperint quoad novam et reformatam formam ipsas recitandi.
9. Formula moderna recitandi horas canonicas, seu divinum officium, fuit potissimum tradita a nostris Francisianis, et deinde a Sede Apostolica pro ipsa Ecclesia Romana suscepta.
10. Afferitur summarium constitutionis S. Pii V, incip. *Quod a nobis*, editae pro reformatione et editione Breviarii Romani.
11. Afferitur ad id summarium constitutionis Clementis VIII, incip. *Cum in ecclesia*.
12. Afferitur ad id summarium constitutionis Urbani VIII, incip. *Dirigam psalmodiam*.
13. Officium divinum dividitur in nocturnum et diurnum.
14. Per officium nocturnum quid intelligatur?
15. Per officium diurnum quid intelligatur?
16. Totum divinum officium dividitur in septem partes, seu septem horas canonicas, quae enumerantur.
17. Assignatur mystica ratio hujus septenarii numeri horarum canonicarum.
18. Obligatio recitandi divinum officium seu horas canonicas oritur ex triplici titulo, scilicet sacri ordinis, beneficii ecclesiastici, et religionis choro adstrictae.
19. Titulo sacri ordinis obligantur sub mortali ad recitandum divinum officium omnes subdiaconi, diaconi et presbyteri, quamvis nullum habeant beneficium, nec aliquo voto ad id sint adstricti.
20. Obligatio recitandi horas canonicas incipit a prima die, et hora suscepti subdiaconatus.
21. Clerici in sacris constituti tenentur ad recitationem divini officii, etiamsi sint excommunicati, interdicti et suspensi.
22. Idemque plurimi censent de degradatis.
23. Quid sentiendum de damnatis ad tirremes, in

in *oconomis* sibi eligendis, statuit concilium, ut si ab iis instituendis cessarent metropolitani, in eam curam Constantinopolitanus patriarcha succederet; si episcopi, suppleret metropolitanus; si abbates, episcopus.

(13. In Ecclesia Graeca adhuc saeculo XIII residui erant *oconomi*, ut ex actis Lugdunensis concilii a. 1254 constat. Verum in Latina Ecclesia, postquam mensae communis bonorum partitio facta est inter canonicos, *oconomis* nullus superfuit locus. His tamen thesaurarii, camerarii, vicedomini in canonicorum collegiis successerunt. Adi et hic Thomassinum p. i, lib. iii, cap. 70, n. 6, seqq.

carceratis, et captivis apud infideles? — 24. Clericus in sacris, qui cum dispensatione Papae duxit uxorem, tenetur adhuc probabiliter ad recitationem divini officii, nisi quoad hoc etiam obtinuerit dispensationem pontificiam. — 25. Titulo beneficii ecclesiastici obligantur sub mortali ad recitandum divinum officium seu horas canonicas beneficiati omnes, sive habeant beneficium curatum, sive non curatum. — 26. Et quando incipiat dicta eorum obligatio. — 27. Imo tenentur beneficiati ad recitationem divini officii, etiamsi summum beneficium sit tenue, si scienter illud acceptaverint. — 28. Item tenentur ad recitationem divini officii habentes praestimonia et praestimoniales portiones. — 29. Clerici percipientes portionem ex beneficio ecclesiastico tenentur recitare officium B. M. V., nisi recitent ipsum officium divinum. — 30. Beneficiati, si post sex menses ab obtento beneficio, divinum officium sine impedimento et culpabiliter non recitaverint, tenentur ad restitutionem fructuum pro rata omissionis. — 31. Beneficiati tenentur in conscientia ad talem faciendam restitutionem ante omnem sententiam et declarationem iudicis. — 32. Neque talem restitutionem compensare possunt beneficiati per eleemosynas ante neglectam recitationem datas ex fructibus beneficii, ob quod tenentur ad horas canonicas. — 33. Pro recitatione tamen ob neglectas horas satis est post illud tempus, a quo beneficiarii omiserint, dare eleemosynam, etiamsi non cogitent de debito, neque intendant dare in exsolutionem suae obligationis. — 34. Possunt autem tales beneficiarii eleemosynas ob omissionem horarum debitas pauperibus, sibi applicare, si vere sint pauperes. — 35. Obtinentes beneficia, v. g. praepositoras, personatus et hujusmodi, quibus ex speciali sua erectione solum annexa est obligatio recitandi officium parvum B. M. V. vel alia similis obligatio, cum expressa conditione quod capellanus ratione capellaniae non sit obligatus ad horas canonicas, eximuntur ab opere recitandi divinum officium, et consequenter ab onere restitutionis fructuum ob omissionem recitationis. — 36. Item a tali onere eximuntur, qui titulum quidem beneficii obtinent, sed per se non stat, quominus de facto aliquos fructus percipere possint. — 37. Titulo religionis professae choro adstrictae obligantur sub mortali ad recitandum divinum officium, seu horas canonicas, sive publice in choro, sive privatim, omnes, ac singuli regulares (exceptis novitiis ac laicis seu conversis), qui profitentur religionem choro adstrictam et hoc ratione generalis consuetudinis in omnibus